

INDEX CAPITULORUM.

CAPUT PRIMUM.

Consilium Auctoris.

CAPUT II.

Ritus oblationis puerorum impuberum, ex prescripto Regulae D. Benedicti, olim frequentari solitus explicatur, ejusque firmitas asseritur, vindicatur.

CAPUT III.

Divus Thomas quinquennis, Deo sub Divi Benedicti Regula oblatus, atque devotus ostenditur, pro more suis temporibus obtinente.

CAPUT IV.

Divus Thomas pubertatem ingressus, Divi Benedicti institutum solemniter proficitur, annis circiter octo antequam Praedicatorum Ordini nomen daret.

CAPUT V.

Divus Thomas Dominicanis recens adjunctus, ut a novo instituto revocetur, Casinensis Monasterii Abbas creatur ab Innocentio IV. Unde ante Benedictinum institutum expresse professum esse, certo colligitur.

CAPUT VI.

Divum Thomam Benedictini instituti Professore, ad Dominicanum Praedicatorum Ordinem transisse, testantur Casinensis Monasterii Tabulae.

CAPUT VII.

Idem Sacerdoti Malaspina, Scriptoris D. Thomae Synchronii testimonio confirmatur. Adduntur ad cumulum nonnulla Monachatus indicia.

CAPUT VIII.

Una qua superest in oppositum difficultas eliditur, ex Scriptorum Dominicanorum silentio petita. Brevisarii Romani auctoritas eliditur, explicatur.

P R A E F A T I O.

Quod D. Thomam Theologorum Principem, Benedictini instituti Professore, antequam ad Dominicanos accederet, ostendere aggrediar, non superba facit ambitio; quam Monasticum ordinem novo sibi ornamento illustratum velim, ne tanto careat ad celebritatem nominis adjumento. Manet enim alta mente infixum Cardinalis Baronii judicium, in Annalibus, ad annum 494. Cum innumerorum pene Sanctissimorum, atque doctissimorum Patrum Patriarcha Benedictus fuerit secundissimus propagator, perperam mea sententia illi faciunt, qui ei, quos non genuit, alienos partus supponunt: qui inquam nimio ejus Ordinis, sub quo proficentur, amore nonnullos fama illustres viros, ejusdem fuisse Regulae Professores, imprudenter, & inconsulte nimis affirmant. Etenim non fecundis, sed sterilibus supponi aliena soboles solet. Nullum itaque in hacce Historica Disquisitione, novi syderis Benedictino Caelo asserendi; nullum splendoris alicujus, & gloriae Monastico instituto adiciendae studium imprudens, scribentis animum occupavit: sed una mihi limandae in disputatione veritatis cura fuit. Immo ita apud me semper statui, statuetque mecum quisquis rem ipsam serio perpendit; multo plus splendoris & gloriae in Praedicatorum Ordinem rediisse; quod relicto Benedictino ad illum se tandem transfulerit Doctor Angelicus; quam in Monasticum Ordinem antea reudandasset, quod nomen illi dedisset primum, seque illi junior addidisset.

Et vero si quod ex fodina accedit auro pretium, si qua flumini ex primo fonte celebritas oritur: num quae Praedicatorum Ordini gloriosius fuerit, Thomam e Monachismo, quam e saeculo prodeuntem admittere; omnigenae scientiae thesaurum ex Saba, quam ex Aegypto colligere; divinae sapientiae flumen, ex Paradiso voluptatis, quam ex Babylone in suum tandem sinum excipere? Ad gloriam itaque Praedicatorum Ordinis scribo, dum Doctorem Angelicum, antea Monachum probo, quam se illi Vir sanctus adjungeret: non ad gloriae, ut maligne criminantur aliqui, diminutionem, ad depressionem. Certe si Pontificia dignitatis gloriam non imminuant, qui de Divi Gregorii Magni Monachatu scribunt Viri plerique Doctissimi, ut illum antea Monachum, quam Pontificem probent: nec sacrum Minorum Sodalitium deprimunt, sed potius illustrent, celebrantque, qui summum illum Patavii Thaumaturgum, Antonium Lusitanum, Canonicum antea religiosa vitae lege adstrictum testantur, & scribunt, quam ad suos Franciscanos accederet: qui quae Praedicatorum Ordinis gloriam obscurare censendus ero, ac non potius augere, & illustrare; quod Thomam antea Monachum, quam Praedictorem scripto probandum aggrediar?

Sat bene, mea quidem sententia, sat digne fiet, modo quod dono scriptum veritate nitatur, sine qua gloria nulla est, sed laudis vana cupiditas. Hanc ut assequer, eos fontes adii, ex quibus eam haurire certius possem: Scriptores intelligo D. Thomae Synchronos, aut saltem aetate proximos, domesticos non secus ac externos: quorum alii Monachum Casinensem aperte distincteque dixerunt: alii pleraque de illo notarunt ac retulerunt, quae caeteris illius aevi juncta monumentis, ritibus, & Canonibus, Monachum certa consecutione demonstrant. Horum non singula quidem seorsim accepta, decretoria suppeditant argumenta: (ecquis enim id expectet a me, in re praesertim Historica, & a nonnullis de industria occultata?) sed omnia simul, eaque conjunctim sumpta, mutuoque collata, plenam ut arbitror, firmamque facti quod quaeritur probationem efficiunt: Thomam scilicet Aquinatem, Monachum apud Casinenses aliquot annos egisse, antequam ad Dominicanum Praedicatorum Ordinem se transferret.